No. 63.

1 2 k

Pieniążek ~~1037~~
590/1

6. f


HOC EXCUBANTE
POS TERI TATI
NON MOVE BOR.
EX CONSTAN TIA LI BERTAS.
C. THAMNITI THORUNIENSIS DE CONSTANTIA THORUNIENSIUM IN OBSIDIONE PROBATA PANEGYRICUS
ALIT NON CONSUMIT
S. Niedenthal del:
J. Sandrart sculp:



Exsurgunt patulæ Regales Casside Plumæ,
Coccineo manans Umbo cruore ruber:
Et Laurum meritas referunt Insignia FALCES
Quas cingit duplici CRUX benè posta loco.
CRUX Pietatis Honos: adhibet Prudentia FALCES,
Scema Viri Fortis Nobile PLUMÆ facit.
Extendunt istis PRUSSI Virtutibus ævum
Gens REGI PATRIÆ, Gens adamata DEO.

C. Thamnitius Thoruniensis.

Jacob Sandraet sculps.

C. THAMNITI
THORUNIENSIS.

DE

CONSTANTIA THORUNIENSIUM IN OBSIDIONE PROBATA.

ORATIO.

Exscripsit Typis MICHAEL KARNALL.

GENEROSÆ PRVSSORVM GENTI

JOANNI,
HEINRICO,
GEORGIO,
PRUSSIS:

PATERNI NOMINIS ET VIRTUTUM
HEREDIBUS EX ASSE FELICISSIMIS:
VIRIS
PER MAXIMOS HONORUM IN PATRIA RP. GRADUS,
RESPECTIVE
BURGGRABIATUM PROCONSULAT.
CONSULAT. SCABINATUS.
&c. &c.
EMINENTISSIMIS.
Hereditaria Bene De Patria Merendi Voluntate
LAUDATISSIMIS:
Benignitate In Eccles. Schol. Literas Magnificis:
MAXIMA AUTORITATE, INSIGNI PRUDENTIA, VIRTUTUM OMNIS GENERIS CULTU
Obseqvio In REGEM, Studio In REMP. Fide In PATRIAM
NOBILISSIMIS:
MAGNIS SUIS MÆCENATIBUS:
Istum de CONSTANTIA THORUNIENSIUM Sermonem,
OB SINGULAREM ÆTERNÆ MEMORIÆ PATRIS
IN ASSERENDA TUNC CIVIUM FIDE
INDUSTRIAM ET FELICITATEM,
MANIBUS EIUS ATQ. VIRTVTI DEBITVM,
QVASI ADITÆ PER HEREDITATEM GLORIÆ PARTEM;
MONUMENTUM DEBITÆ GRATITVDINIS
L. M. Q.
D. D. D.
Cliens Perpetuus

C. Thamnitius Thoruniensis.

IAm illud in Mentem Mihi venerat, FRATRES NOBILISSIMI: qvod Ajaci ſuo feciſſe Auguſtus ex Macrobii indicio legitur; idem in Scriptionem hanc decernere, Spongiam caſtigatricem: qvia, dum inter omne Triumfi Genus Hilaria VRBS NOSTRA agit, VOS, MAGNOS IN PATRIA VIROS ad Lacrimas adacturus viderer. Inſolens omen, & fortasſis minus virile, niſi qvod ex æſtu Pietatis ingeſtum, non excuſationem tantùm, ſed Laudem etiam mereatur. Qvomodo enim, ſi non Lacrimas, at gemitus ſaltim cohibebitis, ubi, flexâ in memoriam Temporum anteriorum Mente, ſpirantem MAGNI PATRIS Effigiem, in Hac, qvam Æternitatis Fano ſacramus, Tabula intuentibus recrudeſcet Ejus in VOBIS deſiderium, qvia Exemplum jam adolevit. Dulcedo in PATERNO NOMINE Maxima eſt, & exqviſiti admodùm affectus: Majorem in Virtute

tute illi ſentiunt, apud qvos

Tota licèt veteres oſtentent atria Ceras

Tralatitia tantùm & vulgi hæc nobilitas eſt. At Vos & Patris, & in Eo Nobilitatis Virtutisq; Dulcisſima Nomina non abſentia qvidem deſiderabitis, cui enim hæc in obſcuro? ſed remotiora. Iam enim Ille, poſt delibatas Æternitatis primitias, inter beatos degit, relicta in Terris hac Felicitate: qvod à Vobis qvidem deſiderari; in Vobis neqvaqvam posſit. Magno ſibi tum Beneficio Totam Patriam obſtrinxerat, cum, poſcente jam Muralem Coronam hoſtili milite, fixis in ipſis Mœnibus Trophæis, & telis per Vrbis interiora viſcera graſſantibus, Prudentia, Autoritate, atq; Conſtantia Spem Hoſtis eluderet: ſed non minore item, qvando Eos reliqvit, qvi & Honoribus Suis ſuccederent, & Nomini, &, qvod rerum caput eſt, Virtuti. Duplici nomine PATRIÆ PATER, qvod Vos qvidem genuerit Sui ſimillimos: Beneficiis autem Cives omnes alios qvaſi filios adoptarit. Hinc Magnum illud No-

men

men ex Divi TRIVMFATORIS VLADISLAI, qvo meliorem alienæ Virtutis Censorem Sol neminem vidit, calculo meritus: tantum Gloriæ Vobis addidit, qvantum optare Votorum Avaritia vel Maxima possit. Qvod si obscuras, viles, & degeneres animas movet Parentum recordatio: qvid Vobis GENEROSI FRATRES, futurum est, qvi, qvia nonnisi Paterna, hoc est, honestissima qvæq; momentis omnibus designatis, toties desiderare Eum videmini, qvoties ex Hereditaria benè de Patria merendi voluntate ad certamen Virtutum descenditis. Sed tamen non prævaricandum erit PATRIÆ, qvæ dum Luctum suum dissimulat, qvod, qvem in Vobis recepit, non amiserit: præire Vobis videtur, ne arctiorem existimetis nexum qvi Sanguinis, qvam qvi inter PATREM & PATRIAM Fidei est & Amoris. Voluit, ut succederetis in MAGNI VIRI Locum, DEVS: optavit PATRIA: Vos, ut & DEI voluntatem omnes intelligerent, & non excide-

cideret votis ſuis PATRIA, Virtute Veſtra effeciſtis. Vniverſam prius PATRIAM debitricem habuit, Fidem Civium ſervando: mox partes Ejus ſingulas, in qvibus Vos, cum aliis, difficiles pro Salute Populi excubias agentes collocavit. Debebantur Virtuti Ejus Laudes, debebantur Panegyrici: qvorum ecce unus ad Manus Veſtras Benignisſimas viam affectat, qvod qvi de PATRIA SERVATA agit, tacere de PATRE Ejus nec voluerit nec potuerit, nec, ſi Hiſtoriæ fundamentum Veritatem profiteretur, debuerit. Ad Vos contendit, qvia Vobis debetur, qvibus relicta ſua omnia MAGNVS PRVSSVS voluit, & in his Hereditatem Splendidisſimam, Gloriam & Virtutem. Abſit eqvidem omnis à Cultisſima Vrbe infelix alea! abſit longisſimè omen! ſed, ſi detonare in nos Celum voluerit, ſimilis Virtutis experimentum à VOBIS EMINENTISSIMI FRATRES exſpectabimus, immò, qvia per inſtantes MA-

GNI PARENTIS Manes deſidibus eſſe VOBIS non licebit, flagitabimus. Conjunxi Vos, qvos etiam nunc qvidem Ætas, Honorum Gradus, disjungunt aliqvid: Virtus & Amor Patriæ egregiè conjungit. Tu MAGNIFICE JOANNES PRVSS, tempeſtivè Reipublicæ ob illuſtres dotes admotus: toties ex FORTVNATISSIMI REGVM FORTISSIMIQ. Gratia BVRGGRABIVS: PROCONSVL. Benignisſimus Athenæi Noſtri PROTO-SCHOLARCHA: ADSESSOR JVDICII Nobilit. Culmenſis: & CONSISTORII PRÆSES: VOS HEINRICE & GEORGI, NOBILISSIMI, SCABINATVS Veteris Opidi & Suburbici ADSESSORES, qvi toties ingentibus & difficilimis ob Publicam Salutem curis in IVDICIIS, in omnium Vrbis Ordinum Conventibus fatigamini: Omnes Tres, PRVSSI: hoc eſt Amore PATRIÆ ardentisſimi eſtis.

Hæc

Hæc Publica caussa fuit, cur VOBIS Orationem istam inscribi oportuerit, Publica in PATREM VESTRVM Pietas: Post DEVM qvippe, post DÖNHOFII ILLUSTRISSIMI Autoritatem, Hujus potissimum svasu effectum est, ut prospicientes bonorum suorum accersita incendia Cives impetu in hostem; adversus autem REGEM suum fervore accenderentur: ut Conjuges suas & Liberos, immò præsentissimum Vrbis discrimen Constantiæ omnes posthaberent. Testor Conscientiam Civium omnium: Testor, qvæ Æternę memoriæ caussa in splendidissimo Vrbis Palatio Acta asservantur: utrinq; solidum Veritatis & manifestum testimonium petiturus. Rependit Tibi Decus Tuum posteritas PRVSSE: & rependet, qvamdiu benignum Virtutis æstimium in Mortalibus supererit. At Vos FILII Tanti PATRIS NOBILISSIMI: Accipite fructum Paternæ Gloriæ, immò, qvia seriò hunc jampridem

dem imitamini, VESTRÆ. Reddidiſtis PATREM PATRIÆ: reddent & Vos olim Veſtra merita; & cum his ſurculi felicisſimi, qvi, cum voto bonorum omnium, in maximam Patriæ Spem adoleſcunt. Multa erant qvidem adhuc præfanda: privatæ cauſſæ multæ, qvarum impulſu, ut iſtud exile ſcriptum ad Veſtrum deinceps Patrocinium pertineret, eſt factum: ſed magna illa & PVBLICA cauſſa, ne commemoraret privatas, calamum represſit: & id tantò magis, qvod iam pridem, Veſtra in dandis Benignitas: Modeſtia in accipiendis Beneficiis fibulam Mihi impoſuerit. Erit commemorandi iſta aliàs locus; qvem dum prævertit ſcriptum iſtud: hoc unicè Vos obteſtatur, ut dum ad Triumfalia ſigna oculos: ad Tubarum & Tympanorum fremitum: fragorem Machinarum aures: memoriam CONSTANTIÆ THORVNIENSIS animum hodiè arrecturi eſtis: cogitetis, qvo PATRE na-

TRE na-

TRE nati ſitis: &, dùm impigrè Virtutum Eius veſtigia premitis, qvam celebrem Nominis Veſtri memoriam ſitis relicturi. Valete MÆCENATES MAGNI, & ex voto omnia gerite.

ThorunI Triumfalis Urbis Die qvæ eſt XVI. Febr.

ANNO CIↃ IↃCLI.

SUMMI VESTRI NOMINIS
Studioſiſſ.
C. THAMNITIUS Thorunienſis.

PROGRAMMA

PRinceps Scriptorum *Tacitus*, ut multa Romanorum alia, ita illud qvoque quod *vetera tantum extollerent, recentium incuriosi:* more suo, seu liberè atque graviter notat. Invaluerat autem iste in urbe Domina Morbus, & radices tam altas egerat, ut Ætatem suam, perpetuo hoc quasi epitheto, *Incuriosa suorum*, in eo etiam, quem de Clarissimi Soceri Vita conscripsit, libro, Summus Historicorum insigniverit. Caussas Ejus rei omninò aliquas esse oportet, quas, si ita visum est, cursorio heîc oculo contemplemur.

Non dubium est, qvin in magna apud gentes omnes veneratione Antiquitas fuerit, quam, si sapimus, adorandam, Philologorum non postremus Macrobius edixit. Nec defuere qui fatalia Seculorum decrementa; & celebres illas mutationes, ex Poëtarum primùm ingeniis haustas, mox & experientiæ quodam calculo comprobatas, solerter adstruxerunt. Unde, sive per popularem opinionem, qva (verbis Prudentię Magistri) *agere memoratu digna prioribus magis promtum fuisse* arbitramur, seu per illam, quam Antiquitati deberi existimamus, observantiam, & derivatam inde modestiæ speciem, fastidio recentia, vetera autem venerabundi excipimus, vel minora saltim iis, quæ olim gerebantur, Ætatis nostræ specimina putamus. Qua in re receptæ jam pridem opinioni accedit mortalium indoles, cujus ea est ratio, ut quæ oculis obno-

xia ſemper habet, leviter tantùm admiretur, ita, ut ea etiam, quæ principio inter miranda recenſita ſunt, ſi diutius apud nos perſtent, ſenſim & ſine ſenſu in neglectum prius, mox contemtum abeant. Quod ſi qui majorem quandam conſtantiam adfectent, ut non contemnant prorſus, majoris tamen, ſi frequentia minus esſent, multa facerent. Circumferat aliquis per vaſtum hunc Orbis Terrarum ambitum oculos, eandem ubique agi fabulam, majusque rariorum atque remotiorum, quam præſentium esſe æſtimium planisſimè deprehendet. Maximum illud Orientis Solis & Occidentis miraculum, ſtatasque ſuas vices ſolicitè adeò obeuntis, quia quotidianum eſt, minima mortalium pars ſuſpicit: diligentius id factura, ſi aut alii tantùm id animadverterent, aut noſtri raro. Si verò in nubibus rariora quædam, licet ad ipſisſimum Naturæ ductum expreſſa repræſententur, nova ſunt, ſtupenda ſunt. Idem in rebus aliis fieri videas, quando, quæ gentes habent ſingularia, à vicinis vel disſitis prudentiùs æſtimantur, quam illis quibus propria ſunt. Aurum non in tanto olim apud Indos, quo apud Europæos pretio eſt habitum, niſi fortè Aurea qvorundam Crasſorum fames eos edocuerit, communem nunc omni Orbi habitali ſententiam, aurum inter ſacras res, & divinas cenſendum esſe. Quid? an aliud Magnorum Virorum fatum eſt, quorum decoram famam præſentia minuit, & contemtus, in qvem incidunt, magna pars eſt, in proximo esſe. Quod ſenſisſe mihi videtur prudens ille ſæpius, ſæpius callidior Tiberius, dignus cujus artes ſagacisſimus Taciti calamus depingeret, js er-

js ergo, *confluentibus tot prosperis*, (sunt *Tranquilli* verba) *integra ætate ac valetudine repentè secedere, seq; è medio quàm longissime amovere statuit.* Consilium autem illius, in hunc modum, & acutè Svetonius interpretatur: *Vt* inquit, *vitato assiduitatis fastidio autoritatem absentia tueretur.* Tachus Ægyptiorum Rex Agesilaum jam senem, suppetias sibi ferentem, cum presens esset, contemsit, & scommatis insuper impetivit, ita, ut hic summam virtutis suæ famam, qvam absens apud Ægiptios obtinuerat, adventu suo, atque præsentia pænè obtrivisset. Ita præsentium incuriosi mortales sunt, nec citius sensere Romani habuisse se Augustum, quam cum Tiberius succederet. Quanquam Augustus astuto consilio sibi de ea re providit, qvando, (ex conjectura sagacissimi Taciti) Tiberium successorem nominavit, *ut deterrima comparatione gloriam sibi qværeret*, vel, ex mente Svetonii, *ut successore tali fieret desiderabilior.*

Qvod igitur cælo contingit, ut, qvia spectantibus semper in aperto est, minori admirationi sit: qvod rebus, qvas licet viles sæpè, & nullius pene numeri sint, sola locorum in qvibus nascuntur distantia commendat: qvod viris Magnis, qvorum splendori præsentia tantùm prejudicium facit, idem præclarissimis factis evenire solet, qvibus iniqvissimo judicio præteritis, *posteritas decus suum rependit*, gloriamq; qvam cum primum patrarentur, meruerant: vetustas demum conciliat. Multa alia Prudentissimus Historicorum his gemina habet, qvæ si Programmatis modus id negotium caperet, non invito calamo perseqveremur. Ita aurei sui de Agricole Vita libri exordio, disertim *vitia illa parvis magnisqve Civitatibus Communia, ignorantiam Recti & invidiam*

nomi-

nominat, qvę veterno isto & incuria suorum, Ætates deturpare solent. Et cui de posteriore dubium? cum hęc celebriorum factorum semper comes virtutem incolumem oderit, & tributas aliis laudes sibi præreptas: splendorē virtutis alienę, suę nebulas offundere, perqvam iniqvo interpretamento opinetur. Ignorantia porrò recti virtutem ambitione æstimat, & pro humanitate superbiam, frugalitate luxuriam, clementia crudelitatem, fortitudine temeritatem amplectitur. Vt ita si sciret hæc, qvæ præclarè gerantur: si nesciret altera; operę utrinqve pretium fieret. Sed hęc aliûs pensi sunt, nos id agimus, ut justam esse Taciti, qva Romanos perstringit, censuram intelligamus. Nam id omninò existimandum est. *Non omnia apud priores meliora, sed nostram qvoqve ætatem multa laudis & virtutum imitanda posteris tulisse.*

Ex eornm censu THORUNIENSIUM illa virtus fuit, qvę ante hos XX. & qvod ultra numeratur, Annos, hostem Regni & suum, victricia tela ipsis Vrbis mœnibus infigentem avertit. Tentabant tum Civium animos promissa, terrebant minæ. Qvatiebant urbem lethalia fulmina, lambebant istum Chamæleontem edaces flammę, sed Urbs Hęc, DEI ope, & Civium virtute CONSTANTIAM SUAM PER IGNEM PROBATAM immortali Memorię consecravit. Hęc ipsa Virtus in pręteritorum temporum laudem, pręsentium ornamentum, futurorum exemplum, digna est, ut Annalium fidei inserta, & pręsentis seculi applausum & Posteritatis admirationem mereatur. Non Ergo tam recentis facinoris incuriosi, vetera tantum extollemus: non patiemur, ut Plinianum illud: Quia desiimus fa-

cere laudanda, laudari ineptum putamus, expetere in Nos quocunq; modo posſit. Paupertinam ad rem tantam Symbolam Ego quoque adjecturus, ut Benignisſimæ hujus Matris Alumnus, teſtandæ adverſum Eam pietatis cauſſa, in veſtrum, MAGNI PATRIÆ PATRES ET HONORATISSIMI CIVES conſpectum prodeo. Oratiunculâ nimirum tantæ Virtutis præconia Magnifici Urbis Hujus Senatus, Mæcenatum Optt. Maxx. Autoritate excepturus, Omnes Ordinum Omnium Cives, Titulis ſuis Honoratisſimos, demiſſe ad Lycæum noſtrum invito. *Adeſte Viri Magnifici, Nobilisſimi, Excellentisſimi, Prudentisſimi, Reverendi, Clarisſimi, Spectatisſimi Florentisſimi, Doctisſimi, Humanisſimi;* Męcenates, Fautores, Amici: & Patrię, periculi ſui ſeriem in ſinum veſtrum depoſituræ vocibus, obſeqventes aures prębere dignemini. Dies Actui iſti, ſi volet, qui ſuper Nos vult & poteſt, Jovis ſequens, Horæ à Nona Ante-Meridianę deſtinatæ ſunt, qua die, & loco ſolito, quos demiſſe & majorem in modum obſervanter invitamus, exſpectabimus: atqve peractis pro tam Gratioſa pręſentia debitis gratiis, cum hoc voto dimittemus: UT QUÆ GERENT, OMNIBUS ATQVE SINGULIS, PUBLICA ET PRIVATA, EX VOTO PROCEDANT OMNIA.

ORA-

ORATIO.

SI ante hos Viginti & qvod ultra numeratur Annos, cum diſperſa late flammarum atq; ipſum prope Vrbis umbilicum lambentia crepitacula undiq; ingruerent, cùm inter lethalia Martiarum machinarum, nec prius, qvàm tumulos jeciſſent, in ſaxis emorientia fulmina, fatale Vrbi carmen tubæ occinerent: potiorem, opum, conjugum, liberorum, atq; ipſius vitæ qvam Fidei & Conſtantiæ rationem habuiſſetis, THORUNIENSES: neqve æternum Veſtræ Virtutis Specimen ORBIS, qva ſe benigniora Celi climata porrigunt, ſuſpiceret: nec Mihi VRBIS hujus Alumno, teſtandæ hunc in modum erga Patriam pietatis locus tam honeſtus fuiſſet. Nam & VRBS hæc Ve-

ſtra, qvæ ſpontaneo iam pridem ſub GLORIOSISSIMAS POLONIÆ REGUM alas obſeqvio conceſſerat, ingens priſtinæ fidei deliqvium paſſa, ſeculorum pęnè duorum CONSTANTIAM, exigui temporis intercapedine convulſam, inqvinaſſet: & poſt agnitum Victoris arbitrium, ad ejus palatum, non veri legem explendæ Oratori dicendi partes fuiſſent. Ita qvippe in verſatili hac rerum mortalium ſcena fieri amat, ut, qvi victi ſua amiſerunt, pari paſſu ſe qvoq; amiſiſſe: prudentiaq;, eloqventia, fide, niſi qvam Victor laudat; excidiſſe videantur, atq; ad alienæ voluntatis nutum compoſiti, evulſa ſuperiorum temporum memoria, nihil, niſi qvod vincenti probatur, in vultu primum, lingua atq; geſtibus: mox in pectoribus circumferant. Sed DEI Immortalis Ope, & Veſtra, Cives, Virtute, REGI GLORIOSISSIMO concepta de Vrbe Spes: ipſi Civitati Gloria: Civibus Fides conſtitit, ut ita Ei, qvi hoc tempore, de facie rerum illa dicere vult, & ſentire qvæ debet, & qvæ ſentit, dicere (qvæ potiſſima libertatis

tatis

tatis ſunt) integrum ſit factum. Enixi ſumus, repetitis qvaſi partus difficultatibus libertatem, illam à Magiſtris Crucis Sanctę hoſtibus primum oppreſſam, inimicis poſteà aliorum machinamentis tentatam: pro qva, qvod ſanguinem noſtrum, ipſamqve vitam pignori addixerimus, filios nos, qvorum obſeqvium, ignea, ferrea & plumbea alimenta durarunt, Mater pientisſima POLONIA complectitur. Dedimus tunc inſpiciente Genere humano animi illius documentum, qvi ad mortem potius obduratus erat, qvàm ut tepeſcentem, qvæ ALBæ AQVILæ candida & calens debebatur fidem admitteret: ſed ita dedimus, ut ſolius DEI hic omnis partes fuiſſe, tutelarem illius dextram utramq; in toto periculo paginam fecisſe non reverenter minꝰ qvàm libenter agnoſcamus. Hinc freqventati illi Anniverſaria ſolennitate Campanarum per VRBEM totam pulſus, Civium omnis ſexus, ætatis & dignitatis ad Sacra confluentium manipuli, concitatę Divinorum Præconum voces, tubarum in i-

 pſa

psa DEI ędeSanctissimum classicum ingeminantium & reconditis suspiriis decorè se ingerentium gravissimus horror, atqve, qvod hac die fieri solenne est, Machinarum ad turbidius ingenium sua incunabula referentium tonitrua: qvibus singulis id agi, ut salutis omnis momentum in Exercituum Domino nos tunc posuisse testemur, hospes in hac Republica noverit. Et isthæc qvidem qvantum in mortali hostimento est supremo Numini, cui vectigales animas gerimus, retulimus, immensæ Clementiæ precium in nuda confessione beneficii qværentes, nunc nec præterita laude; nec præsentia ornamento, nec exemplo seqventia tempora fraudanda videntur. Præclarissimarum enim Virtutum id fatum est, ut si iis temporibus gignantur qvæ recentium incuriosa vetera tantùm extollunt, neq; sint qvi victuris ingeniorum vindiciis situm ab iis amoliantur, in neglectum prius mox in profundissimam oblivionem abripiantur. Præterea è re posteritatis est bene vel secus acta non ignorari,

rari, ne illa ad ſuperioris ævi memoriam relapſa, deeſse ſibi qvod ſeqvatur, aut doleat, aut majoribus objiciat. Meruit autem VIRTUS illa, qvæ cum Supremi Imperatoris Tutelarem Clementiam imploraſſet, auſpiciorum eius ductusq; ſecura, minas, ferrum, flammas, imò præſentisſimũ Vniverſæ ſuæ Salutis præcipitium cultui in SERENISSIMUM DOMINUM poſthabuit, ut inter Seculorum exempla ac decora collocetur. Meruit, ut eorum exerceat facundiam, qvi in culmine profectuum conſtituti, Magnum Oratoris nomen citra notam uſurpare posſunt. Qvæ causſa eſt, cur Provinciam hanc, autoritate eorum, qvibus parere præclarisſima pars pietatis eſt, ſuſceptam, in alios potius humeros devolutam mallem, qvam ut facti magnitudinem culpa ingenii detriturus, & rei ipſi & Auditorib9 pudibundam ſublati oneris pænitentiam debeam. Sed qvid? Mutus ille invidiam Naturæ affectu Filii in ſubito Patris periculo convicit: Nos autem, dum ex periculi nubibus ſerenum Patria caput

extulit, dum violentiæ, in perpetuo cum Marte contubernio degenti eripuit ſe, non ſubduxit: inter eius triumfos, plauſus, ſupplicationes, voces, & tripudia verbum facere nullum poterimus? qvod ſi benedixiſſe is exiſtimandus eſt, qvi ea loqvitur, qvæ cum prolubio ab Auditorum animis accipiuntur, aliqvid nobis qvoq; pollicebimur, qvi à nebulis ad Solem, ab horrida tempeſtate ad malaciam, à qveſtibus ad tripudia, à periculis ad portum: verbo, ab armis ad pulcherrimam pacem explicantes ſe in ſuperiorum temporum memoriam animos publica hac voce invitam9. Qvod igitur indultu Veſtro fiat VIRI MAGNIFICI, NOBILISSIMI, EXCELLENTISSIMI, PRUDENTISSIMI, REVERENDI, CLARISSIMI, SPECTATISSIMI, FLORENTISSIMI, DOCTISSIMI, HUMANISSIMI, dicam qvàm animoſé pariter & glorioſé ante Viginti & qvi ultra numeratur Annos VRBS noſtra potenti hoſti victricia arma mænibus ſuis intentanti frontem obverterit, & feram Conſtantiæ ſuæ laudem præclaro poſteritatis exem-

exemplo consecrarit. Qvod dum dicturus sum, VOS MÆCENATES MAGNI, FAUTORES OBSERVANDI, AMICI COLENDI, ea, qva par est, observantia, & officiorum promptitudine exorandi mihi estis, ut de insignis exempli re non ex merito, sed pro ingenii modulo dicturo benevolæ Vestræ attentionis gratiam adspirare gratiosé dignemini, qva ne abutar, per compendia ibo, & summa seqvar fastigia rerum.

Maiestas IAGELLONII Sanguinis, & dignissimæ melioris Orbis æstimio Virtutes SIGISMVNDVM TERTIVM, Senum Gloriosissimum, in Regio POLONORVM Solio collocaverunt. Vtut enim Nationum Generosissimæ nisi hactenus antiqvius visum sit, qvam ut omne in liberrimo suo Regno hæreditatis jus declinaret, neqvaqvam tamen aliqvod imminere libertati deliqvium, ubi Virtutes magis qvàm personæ succederent, gloriosè existimavit. Qva in re id fecit operæ pretium, qvod ex una atq; eadem stirpe gloriosissimos surculos SIGISMVNDVM Se-

nem Triumfantem, & VLADISLAVM Triumfando Senem, utrumq; gloriosissimè imperantem viderit, & hodiè SERENISSIMVM IOANNEM CASIMIRVM Paternarum & Fraternarum Virtutum insigne compendium, veneretur. Sed SIGISMVNDI Electionem, eo ipso tempore, qvo inter periculosa procellarum, tum intra Regni ipsius viscera subnatarum, tùm à vi externa ingruentium prçcipitia POLONIA nutabat, gloriose transactam: acria mox Gentium dissidia, armorum strepitus, ipsa arma, atq; minatrices ultimorum malorum flammæ excepere. Cum enim in eum, capessendi novi Regni caussa absentem, IOANNIS Patris mors sacram purpuram, Svediciq; Regni Diadema derivasset, multa admodum intercessere & varia, qvæ totam rem, mutuis primum inter SIGISMVNDVM REGEM & CAROLVM DVCEM argumentis mox armis funestissimis implicuere. Vidit ergò excitus in spectaculum moesti duelli ORBIS, SARMATICOS GOTHICIS Trionibus

onibus oppoſitos, in mutuam perniciem ire: &, dum Juris Arbitrium ferro qværitur, annoſa utrinq; odia, in largo Sanguinis profluvio adoleſcere. Succeſſerat CAROLO GVSTAVVS, ſtupendis poſtea, qvas adverſus AQVILAS ROMANAS obtinuit Victoriis, maximè clarus: qvi Regis pariter, & ex hereditario cum SIGISMVNDO diſſenſu, hoſtis POLONORVM nomen aſſumpſit. Fuit verò belli, qvod potentisſimæ Gentes inter ſe gerebant, eadem, qvæ flammarum eſſe ſolet, ratio. Vt enim hæ, intra exiguas primum favillas conceptæ, ubi ſuccreverunt, violenter ſe diffundunt, & per totam Viciniam vagantes: contagione inevitabili omnia corripiunt, ita ingentis belli moles, ex LIVONIA, ubi aliqvantiſper, variante vices fortuna, militarium Virtutum GYMNASIUM erat, in PRUSSIAM demigravit. In hac ergo freqventer ac ambiguo Marte utrinqve res geſtæ ſunt, donec tandem celebre apud STRASBURGUM prælium adoriendæ Vrbis noſtræ viam ſtraviſſet. Poſtqvam enim

dubiam ejus aleam æqvior SVECIS Victoria ſtitiſſet, VRANGELIVS Exercituum Sveticorum Imperator, qvod ſæpiꝰ frangi, qvàm reſtitui rem cunctando videret, maximumq́; momentum Victoriæ eſſe, uti ita Victoria, ut proxima queq́; inſtrumentum ſeqventis ſit; probè intelligeret: facta ſibi per ſtragem hoſtium via THORUNIUM verſus movendum exiſtimavit. Videbat callidus Dux, OCELLUM REGNI, Terræ hujus Virginem, illibato hactenus flore meritò ſuperbientem: & locum, ex qvo ipſi interioris POLONIÆ nervi peti atq́; atteri posſent, non indignum, qvi promisſis, minis, vi, tentaretur. VRBEM hanc inter obices fortunæ SVETICæ eſſe, qvę qvãdiu AQVILAS POLONAS comiter & reverenter haberet, terrere intimam SARMATIAM GOTHICI LEONIS rugitus tam facilè non poteſt: Ex hac propellandam in penetralia POLONIæ legionum eluviem, & ſi Victoris nutui cesſisſet, & gravẽ REGNI totiꝰ Incubum, diutisſimè ſe illi inhæſurum. Magnũ geſtis acceſſurum cumulum, ſi primus, ſi ultra

ultra gloriosos Regiarũ Victoriarum cursus progressus, rem tantam ex voto confecisset: nec metuendum; etsi præter MANLII sui Imperium omnia isthæc struerentur, locum iniqviori interpretamento fore. Nam res, qvæ seqviori successu imperantis spem eludunt, licèt ad parendi legem compositæ sint, qvod eventus caussa imperari non debuerint, displicere: qvas injussus, sed feliciter exseqveris, illis nõ semper MANLIANVM rigorem impendi. Incitamentis ejusmodi gnaviter innitenti, non deerant, qvæ facilimos successus polliceri, imò ingerere videbantur militaria omina, Recens Victoria, fore, qvi tantam ejus vim remorari velle, temeritatem interpretaturi essent. Totam belli molem fama constare, qvæ ut inopinatis nunciis homines perculleret, terrore omnia circumfundens, vel obstinatam maximè pertinaciam emolliret. Jta prosperiorum successuum rumoribꝰ instructissimos aliqvando exercitus commotos, qvid futurum VRBI, qvæ avertendis Victoris insultibus humanæ o-

pis nihil haberet. Maximum ad extorqvendam deditionē argumentum esse, Victor vobis immineo, nec non posse non vinci VRBEM, qvæ victo præsidio suo omni sufflaminandæ hostilis Victoriæ Spe nudaretur. Adhæc in mundo sibi, THORUNIENSIBUS impedita omnia: Duci ad expugnandam URBEM militem, qvi qvotidianis velitationibus, præliis, imò victoriis innutritus, luculentæ præterea prædæ objectu accensꝰ, Acheronta ipsum perrupturus esset: Hic autem Civibꝰ, aureę pacis dulcedine in rerum bellicarum desvetudinem prolapsis, vel ipsam armorum ostentationem terrori futuram: aut prorsus non, aut infeliciter arma sumpturos, qvibꝰ inter infelices Cōjugum, Liberorum lachrumas & conclamatos Senum gemitus languescentibus, singuli ictus lethales viderentur. Male resisti, ubi apud hostem & propositum vires, & vires consiliū, & consilium celeritas, & celeritatem impetus exciperet. Si qvæ castris inferrentur pericula, in ipso patentissimorum camporum ambitu dispallescere, aut

si va-

ſi valeant, ſingulorum exitio circumſcribi: qvæ urbem peterent, ex arctisſima viciniæ necesſitudine omnib9, qvod ſingulos affligeret, minari. Talia excitabant bellicam indolem, qvæ militarib9 auguriis fulta non obſcuram futuræ victoriæ faciem præ ſe ferre videbatur. Vnde aliqvot millium Exercitus, ejus pars; cui urbes capere, diripere, hoſtilem impetum commaſculata fronte excipere, retundere, inter qvotidianæ militiæ ſpecimina cenſebātur, proximis URBI locis incubuit. Qvi in ſumo rerum diſcrimine conſtituti, ingruentis periculi vim proſpiciunt: apud eos periculum nosſe pars Salutis eſt; perierunt iam qvi perire ſe non ſentiunt. Nam præviſa tela vel brutum declinaverit, prudentisſimi mortalium non citius, quàm, qvando peti ſe non animadvertunt, circumveniuntur. Ita cum vim ſuam intentus rei gerēdæ hoſtis URBI admoveret, alta apud nos ſecuritas, atq; ex ea nullus metus fuit. Sed ut in Republica, qvam nec externæ procellæ petunt, nec enata in fibris interioribus

mala

mala atterunt, fieri aſſolet, PACIS MUNIA THORUNIENSES tractabant. Cùm enim uſitato in hac Republica Iure, Reus qvi alienas res liberius attrectans, facere ſui Iuris pesſimè conſveverat, ad laqveum raptaretur, tota pænè VRBS ex angulis ſuis omnib9 effuſa, maleferiatum ad ſupplicii, qvod meruerat, locum deducebat. Innatum qvippe humanæ curioſitati eſt, ut eorum, qvos, aut præclarè rem, aut ſecus gerere audit, lineamenta & vultus avidisſimè intueatur. Nec crediderim eſſe, qvi, qvia AUGUSTUM, TRAIANUM, NERVAM videre deſiderent: NERONIS, CALIGULÆ, DOMITIANI, & hujus numeri belluarum aliarum vult9 ſibi repræſentari non optet. Hæc ergò curioſi Mortalium ingenii indoles totam ex mœnibus VRBEM exciverat. Omnis ætas, ſexus, ordo, hominem crimini ſuo morte ignominioſa parentaturum vago curſu proſeqvebantur. Cesſit autem ea res caſu in compendium, cùm tanta hominũ multitudo juſti Exercitus ſpeciem præbere videretur, atq; hoſtis, qvi omnes horas præliorum, omnia momen-

momenta periculorum esse noverat, & securitatem pro crimine, imò certissimo exitio habendam esse didicerat, legiones ingruenti ut videbatur militi opponendas explicaret. Tum demum cervicibus suis hostem imminere, arma adversùs VRBEM parari, duci, qvi eam expugnarent, militum robur lectissimum, soliusq; campi æqvore nec dissito adeò, ab hoste se dividi, consternati CIVES sentiebant. Victi jam eratis THORUNIENSES, si vel lenta celeritate palabundos & ad longè spectaculum aliud oculos erigentes Miles oppressisset; victi. Qvid enim? imbelles istas manus, inermia pectora, nudata capita, armis oppοsituri eratis, armis violentis, victricibus, armis in solidum robur lectissimo ordine compactis? Conclusa intra VRBIS mænia blandissima Patrum, Socerorum, Coniugum nomina, viscera vestra liberi dulcissimi, imbelliæ etiam, nedum violento exercitui infelicissimè expositi. Ignovisset totus TERRARUM ORBIS si casu inopinato obruti: armis, in qvibus copiarum hostilium ipse nucleus

H nume-

numerabatur territi, vi improviſa, qvalis ingentem Exercitum concidiſſet, victi, humani aliqvid paſſi fuiſſetis. Ignoviſſet AUGUSTUS & CLEMENS REX, ſi ab imbellibus, & per agros liberrimè diſperſis: ab illis, qvi nulla reſiſtendi ſpe, interclusis omnibus effugii viis, à ſola militum miſeratione vitam exſpectare poterant, hoſtis victoriarum curſum proſeqvens aliqvid extorſiſſet. Ignoviſſet POTENTISSIMA RESPUBLICA, ſi tanti periculi inundatione, cui ſe ſubducere nulla vis mortalium poterat, compertam CIVIUM VIRTUTEM hoſtis terruiſſet. Infame illud in Romanis Annalibus nomen, Magiſter Iuventutis; qvi profligata impietate inductus, turpe tradendorum hoſti diſcipulorum conſilium ceperat: callidè ſed impiè animadvertit, totam ſe gentem ſubigendam offerre, cuius potisſimam & pulcherrimam partem ſceleſtisſimꝰ mortalium hoſtis manibus ingesſisſet. Et ſubacti penitus hoc ſcelere FALISCI erant, niſi ROMANUS Dux Virtute non dolo Victoriam menſus, poſt irrogatum exqviſitum

ſed

ſed dignisſimum ſupplicium hominem perfidum ſua habere iusſisſet. Sed Vos, o Cives, capiendi exempli, qvo pœna ad unum, fuga vitiorum ad omnes ſpectare debet, causſa, ex carceribus Scholaſticis dimisſos liberos, eventus ignarisſimi, in conſpectum hoſtis, immò pænè ſinum eduxeratis. Cepiſſet URBEM SI CIVES, CIVITATEM SI LIBEROS, LIBERTATEM SI CONIUGES, & ſine omni moleſtiæ ſenſu, in tanto rerum ſuarum compendio futuris victoriis prælusiſſet. Arma armis oppoſita in ancipiti alea ſunt: felicisſimus qvisq; armatus licét ſit, ab ambigua fortuna ſibi timet, qvos inermes hoſtis aggreditur, illos non Virtus non Conſilium eripuerit. Lenta ergo tum vel celerrima THORUNENSIBUS conſilia, & ſi effugere proſtitutæ fidei notam vellent, fugiendum erat. Vidisſes eos, qvi tardo pasſu progresſi alienæ miſeriæ ſenſu afficiebantur, in eam tunc conjici, ex qva extricari niſi incredibili celeritate non posſent. Ergo multiplicatis anhelitibus, per iter, qvod calcantem tædio enecare posſit ad Vrbem

advo-

advolant. Non iam qvid qvisq; amitteret, ſed qvantum PATRIA amiſſura erat, ſi ſecuri conſiſterent, interpretabantur. Diverſiſſima rerum facies, cum ad qvos loci Patrocinium ſpectabat, illi Patrocinio omni deſtituti in mœnibus illud qværerent. Primum hic eſt illud, nec levi prorſus admiratione dignum: potuiſſe in tanta trepidatione Vrbis repetendæ conſilium iniri: non captos hoſtili velut indagine tot Cives obhæſiſſe: qvaſi alarum, ita pedum remigio, per impeditas arenis difficilimis vias ad tuendam Vrbem delatos: non ſubnatam prępoſteram in Virtute Hoſtis fiduciam, parſurum tardè accedentibus potius, qvàm ut tanto anhelitu ad tuendā Vrbem properarent: & id genus multa alia, qvæ ut ſingulis levia fortasſe videantur, momentis non parvis in incondita multitudine præbere cauſſam poſſunt. Hoſti ſe, & multo qvidem labore; nondum periculo eripuerant. Hinc ſumma, in URBE hactenus pacata, & à bellicis turbis immuni trepidatio. Occurrebant excepturæ Maritos Coniuges,

juges, qvos cœco qvaſi impetu ad arma ruere & in propriam perniciem ferri exiſtimabant, qvaſi non bellum illud bellum eſſet, qvod PATRIæ bono ſuſcipitur. Ideoq́; lamentis, qverulis, ſingultibus, ſuppliciis muliebribꝰ, & ut hoc genus hominum ſolet, obteſtationibꝰ Virtutẽ CIVIUM hebetabant, in ſubito periculo nihil aliud qvàm periculi magnitudinẽ expendentes. Lachrimas hoſti pro claſſico indicebãt, &c, ut eventꝰ rerum, ex ſuo metu potiꝰ, qvàm ex prudentia aliena æſtimari volunt, conclamatum eſſe de VRBE luctuoſiſſimè opinabantur. Liberi ipſi, qvos Natura, & magnarum rerum ætas impos, tenebris qvaſi immerſos tenere ſolet, ad Parentum vultum compoſiti, miſeris ejulatibus periculi ignorantiam aggravabant. Nullo enim periculi ſenſu tangebantur, niſi fortè ex ſubita Parentum trepidatione hoſtem ad portas eſſe, qvia SVECUS advolaſſet, intelligerent. Alios indignatio ob interruptam VRBIS tranqvillitatem, alios fidei qvam DOMINO ſe ſuo debere conſiderabant, arcta lex,

 exem-

exemplum alios ad arma protrahebat, undiq́; improvisi periculi moles incusabatur. Nec deerant fortè, qvi, ut in tanto cœtu contingere solet, Salutis suæ spem in latebris reponerent, illiq́;, qvi procul à Iove, à fulmine procul esset, optimè consultũ arbitrarentur. Nihil fortasse freqventius est, qvam superari illis aut obtundi qvę subita sunt & minus usitata: si qvæ in assvetudinem abierunt, nec terrere possunt, nec nocere. Sunt qvi venenis pro cibo ex sola cõsvetudine utuntur: & horridas hiemes facilius Thrax, tempestivè gelidæ immersꝰ, qvam qvicunq́; alter pertulerit. Sic apud belligerantes sanguis, ferrum, ignes qvotidiana & qvasi domestica sunt: enecant hæc illos, qvi in blandissimo Pacis amplexu aliqvantum hæsere. Cujus rei insigne exemplum THORUNIUM fuit, in qva dum studiis ejusmodi CIVES distinerentur: & singuli, ne vincantur universi, rem qvantum possunt, gerunt: partium adversarũ Dux, qvi propius iam ad VRBIS mœnia moverat, ex veteri militiæ lege, persvadere per literas

SEDA-

SENATUI, ut deditionem VRBIS faciat, conatur. Solet inter Mortales id qvoq; hominum genus esse, qvos verborum lenocinio facile subigas, si dura intentes, callum obducunt. Nam qvæ sub Amicitiæ specie accipiuntur, mereri obseqvium posse: qvę duritiem ostentant, illis minas, facta, virtutem, ultimo desperationem reponi. Præterea armis rem urgere anteqvam omnia prius experiaris vix Sapientis esse Prudentes existimarunt. Dux ergo inimici Exercitus URBEM amicè compellabat primum, sed ita, ut si denegaret obseqvium, cogi eā posse præ se ferret. Solum argumentum ingratum THORUNIENSIBUS, ipsa verba tam nitida, tàm bellè compacta, ut nō inter arma, per qvorum strepitus exaudiri Musarum voces non possunt: non in castris, sed fabuloso illo Poëtarum Helicone, aut ipso officinæ literariæ meditullio natæ & factæ viderentur. Merebantur itaqve suum applausum: sed penitus omnem; nonnisi ab iis, qvi eruditiores, qvàm fideliores esse possent. Declinabatur in illis omnis sum-

torum

torum injustè armorum suspicio: pacem qværi, qvæ ab adversa parte obtineri conditionibus nullis posset. Repræsentabatur recens Victoria, atq́; qvantum ex ea in URBEM hanc periculum derivaretur, qvam periculosæ temeritatis ratio esset, resistere, cum non possis: graviter legentibus ingerebatur. Offerebat armatus gratiam: Victor Clementiam: Miles humanitatem: Hostis libertatem: SVECUS Patrocinium: donec, qvæ melleæ ceperant, si promissorum mollis series contemptim haberetur; in sanguineas desinere videbātur. Nec per jocum hæc, aut levi saltem brachio geri, & eventus ipse & grandia illa terriculamenta docuerunt, qvæ GUSTAVUM ab insigniū ejusmodi VRBIUM excidio & ruina abhorrere: nisi annuerent, incendia SUBURBIORUM, & extremum occupandæ vi Civitatis periculum parari, inter minas admonebant. Dum igitur publicis consiliis talia agitantur, obversabatur CIVIUM animo, à parte una: SACRAMENTI RELIGIO, qvæ, si sarta atq́; tecta servari deberet, à latere POTEN-

TISSI-

TISSIMI REGNI neqvàqvam abſcedendũ eſſe inculcabat: qvi juratam Principi mentem gerunt, illorum fidem nec promisſorum dulcedine, nec minarum horrore ſubverti debere: Deteſtandi Exempli rem fore, ſi in URBE Terræ Huius primaria, tanta Sanguinis parſimonia laboraretur, ut eſſent, qvi fidei ſuæ teſtimonium honeſta morte obſignare recuſarent: extremam vim celeri momentorum fluxu abſorberi: pravis dictis factisq́; ex poſteritate & infamia æternum metum eſſe: rapidisſimum Victoriarũ curſum, ſuis aliqvando obicibus ſufflaminari, & cum hoſte parem ſibi fore ſortem; ambiguum eventum: pulchrius fortaſſe morituros, qvi intra PATRIÆ ſuæ moenia, in amplexu ſuorum, applaudente Orbis totius Orcheſtra occumbentes, oſſuariis ſuorum inferendi eſſent: qvam qvos in alieno ſolo, Victoriarum veſtigia legentes, opprimere caſuũ incerta posſent. Sed non leviora ex parte alia ſe ingerebant: PULCHERRIMA URBIS FACIES, & impium pænè videri, tam exqviſita antiqvæ manus mo-

numenta excidio exponere: Arcem, qvæ
inter Orbis elegantias numeraretur, illam
ſitu pulcherrimam, opere admirandam,
ſtructura ſtupendam, ordinatis maximè
compagibus laudatisſimam, rerum, qvæ
qvotidiana in eadem diligentia expediun-
tur Maieſtate ſanctisſimam, hoſtilium ma-
chinarum fulminib9, edacibus flammis &
interitui obnoxiam futuram. Qvid ſi ho-
ſtis Victor URBEM ingrederetur, parſurum
ne Civili ſanguini? avellendos ab uberibus
maternis liberos, qvi etiam, intempeſtivo
maximè riſu, hoſtilis enſis aciem irritaturi
viderentur; Senibus ludibrium, Viris tor-
menta, Fœminis pudoris naufragium, o-
mnibus ſummam miſeriam impendere.
Vtut enim nihil rerum ejusmodi ab hoſte
hactenus factitatum ſit, metuendum ta-
men, ne ille reſiſtendi violentiam expiari
aliter nolit: & fieri in ſuburbiis prȩludia ta-
lia, qvæ, ne meliora in VRBE ſperarentur,
obſiſterent. Imminere extremam vim,
qvam ex ſolenni qvadam Victoriæ qvæ
ſanguine conſtitisſet, conſvetudine ſpeci-
mina

mina ejusmodi ſubſeqverentur. Victori moderationem non ſemper commodam: & ſanguinem atqve ſcelera ſitire militem, qvi ſuum liberaliter profundens, pertinacius ab aliis reſiſti, ſcelus putaret. Nam qvi ex eventu, quodve hoſti moras in VRBIS ſolo ulteriores nectere, integrum non fuerit, iſthæc talia metiuntur, nę illi parùm æqvi, immò, ut qvod res eſt dicam, imprudentes ſunt. Vicit tamen flammarum qvas hoſtis intentabat ardorem, pulcherrimus obſeqvii, qvo adverſum REGEM ſuum incaluerant Cives calor: vicit hoſtile ferrum fidei acies, ſi res præter votũ caſuræ eſſent, cum prolubio mucronem inimicũ exceptura. Vicit ſævitiam minarum, promiſſi, Iuramento ſacrati memoria, unoq; & eodem momento, qvo deditionem flagitabat hoſtis opponi ſibi, qvod ſolum Vrbs poterat, vires ſenſit. Aderat tunc in VRBE noſtra, HEROS, Genere, Prudentia, Militaris Virtutis Speciminibus, ſummis apud GLORIOSISSIMOS REGG: dignitatibus ILLUSTRISSIMUS GERHARDUS COMES à DÖNHOFF. Hic

pro

pro ſumma, qvam & in peregrinatione, & ſuperiorum bellorum expeditionibus ſibi comparaverat, prudentia, SAGI & TOGæ artib9 inſignis, conatuum hoſtilium rationes non obſcurè omnes animadvertebat. Cum igitur videret grande hoſti inſtruendarum plurium victoriarum momentum acceſſurũ, ſi REGI THORUNIUM decederet: omni opere id egit, ne ſubitum iſtud periculum, qvalia vel fortisſimos animos concutere ſolent, Civium Virtutem debilitaret. Et aderat ſpontaneo qvaſi ſororimonio Illuſtri Prudentiæ juncta autoritas; qvæ duo ubi ſe pariter contingunt, qvodvis apud mortales efficere poſſunt. Inſtabat ergo ille etiam, atq; opportuna verborum efficacia certisſimum in CIVIBUS moriendi pro PATRIA decretũ confirmabat. Sed vires deerant, ad qvas, in URBE admodum exiguas, extra pomœria, qvæ aut terg9 hoſtis perſeqverentur, aut fronti ſe adverſis conatibus objicerent, aut latus foderent, nullas; reſpiciens CIVIS deſponſur9 animũ videbatur. Sed videbatur tantum, & ne

vide-

videretur ultra, nobilissimo commento, ILLUSTRISSIMUS ratus, Virtutem bellicam, etiam inter summa periculorum ancipitia, Spe ali atq; sustineri: CIVIUM animos intervertit, auxiliares suas copias in proximo esse, & iam iam Hostem lacessituras dictitans. Majus autem omnibus pondus accessit, cum conceptis ILLUSTRI fortitudine verbis, qvasi pro proprio peculio decertans, vitam qvoq; se pro VRBIS incolumitate positurum HEROS ILLUSTRISSIMUS graviter admodum asseveraret; & verborũ, Virtutem alienam accendentium vim, factis heroicis geminaret. Seqvebatur itaq; tã MAGNANIMUM DUCEM CIVIS, in qvo, Jllustri iam exemplo excitato, pręter adfectum in PATRIAM, & erga MAGISTRATVM obseqvium, nihil Civile supererat, sed militaria omnia: Seqvebatur non gemebundus, qvod JLLUSTREM COMITEM & DVCEM factorum suorum & comitem videret, atq; pręripi sibi devovendi pro PATRIA capitis pietatem ab ILLUSTRI Viro, ab Hospite, pæne indignaretur. Videbat immisceri densissimis periculis

Civem Heros: dumqve comitatur fidem Thoruniensium, illi qvod eum, qvi ſine omni nota ſubducere ſe periculo poterat, parem ubiq́; animum, non remiſſum, non languidum circumferre animadverterent, depoſcenda ſibi, nō declinanda pericula eſſe arbitrabantur. Et ille qvidem Heros Jllustrissimus æternitatem nunc auſpicatꝰ, inter immortalia Virtutū ſuarum præconia hoc reliqvit, qvod in aſſerenda Thorvniensivm Fide Illustris, capitis periculo fidꝰ fuerit, exemplumq́ve alienæ Virtutis potius qvàm ſpectator eſſe voluerit. Excepere Jllvstrissimvm hūc Magnanimi Herois ardorem vigiles JOANNIS PRUSS pro ſalute publica excubiæ. Is enim Bvrggrabius, & Præses tunc Reipvblicæ Thoruniensis, ut Sanctisſimum illud Patris Patriæ nomen, Gloriosissimo poſtea Triumfatorum Gloriosissimi VLADISLAI IV. ſuffragio comprobatum expleret, eo tum tempore Virtutem ſuam exſeruit, cum exſerendæ ejus & magna neceſſitas & difficultas ſumma eſſet. Hinc inter periculorum acerrima, qvantū dignitate,

tate, tantum Virtute conſpicuus PROCONSUL eminebat. Erigebat nutantem CIVIUM vigorem, declinanti inſtabat; qvos erectos offenderat, propellebat: valida ubiq; ſua Autoritate, qvam SVMMI, MEDIOXUMI, INFIMI, tenerrimè omnes exoſculabantur. Hinc videbant CIVES, non poſſe ſe de PATRIA non benè mereri, ſi ejus ductui obſeqventes, qvi de illis optimè meritus erat, pesſimè de hoſte mererentur. Nec erat locus longvori ſub ejus auſpiciis, qvem ut ſeriò amabant omnes, ita, præter autoritatẽ ſuam, tremendam Iurisiurandi fidem, & REGIUM nomen inclamantem, ſinguli venerabantur. Non disſimularunt qvoq; merita iſthęc, cùm ad Cœleſtia vocati, NOBILE in feretro Corpus ſiccis oculis intueri non poſſent: & NOBILISSIMAS exſuvias efferentes, largas lacrumas emitterent, parum Viriles futuras, niſi pro SUMMO VIRO & ex affectu ſummo effunderentur. Nos qvoq; hâc ipſa Triumfali Die ſalutamus Manes ejus, & iam pridem inter defunctos relati, imaginem in ſervata URBIS fide æternam

exo-

exosculamur. Sed & alii eo rerum turbine paternā publicæ rei curā gerentes pereñaturæ nominis sui FAMæ operati sunt: qvorum qvidam in subministrandis, qvib9 exciperetur hostis, missilibus: lustrandis, & sedulo obeundis, CIVIUM circa VRBis tutelam studiis, excitandis & irritandis eorum animis: ut Spei in DEUM & precibus CONSTANTIAM atq; Virtutis experimenta adjungerent: Alii militarem disciplinam & CIVIUM Ordines ingeniosa & perita manu instaurantes: & sua qvisq; pro communi Salute munia obeuntes, suis hic nominib9 & honoratissimis titulis appellandi essent, si per præclarissimam eorum modestiam & ruborem nostrum liceret. Norunt id MEMORANDORū quos RESPUBLICA servat LIBRI, in qvibus omnes isti atq; singuli, nunc varias REIPUBLICæ partes insigni cum laude obeuntes, sui nominis nō laudem tantùm, sed & Nobilissimum posteritati exemplū reliqverunt. Ita qvisqve pro se, qvantum Virtute, ingenio, autoritate, viribus valebant, conferebant: pulcherrimo Concor-

diæ

diæ & in REGEM GLORIOSISSIMVM obſeqvii cõagulo prçclaré compacti. Ad tam ſpecioſa PROCERVM URBIS exempla CIVES omnes iam conſternationis obliti, & qvaſi ad periculũ tum improviſum longo temporis uſu cõparati, validiꝰ ingruenti vi pectora ſua opponebant; nihil agentes diligentius, qvàm ne uſpiam in vicinis VRBI locis tutó veſtigia hoſtis collocare poſſet. Hinc iſti globorum, pondere, viribusq; graviſſimorum, in URBIS mœnia inſultꝰ, mutuis non fulminibus tantùm, ſed cædibus compenſati ſunt: cum non uni ex honoratioribꝰ hoſtis Militibus fatale fieret THORUNIUM tentaſſe. Sed unum erat, qvod ut hoſtium callidos conatus magnopere promovebat, ita THORVNIENSIVM Virtuti, ne explicare ſe liberius poſſet, impedimemẽto maximo erat. Stabant contigua URBI elegantiſſima SUBURBIA, multorum iam Annorum opus, & in qvæ maximæ Civium multorum impenſæ confluxerant. Nullus lautiorum Civium erat, qvi non magnam facultatum ſuarum partem in illius loci penetralibus numera-

 ret,

ret, nec pauci, qvi si ea, qvæ multo sudore collecta ibi possidebant; amitterent, re sibi cum pulvisculo hunc in modum ablata vitam qvoq; adimi optarent. Iusti opidi schema in eleganti et amplissimo opere visebatur, tanti ab hoste æstimatum, ut inter atrociora extorqvendæ deditionis argumenta SVBVRBIORVM incendium minitatus sit. Qvid ergò? fomentum hosti præstare & receptacula, miserias cumulare miseriis erat: incubantem cervicibus, et iugulo URBIS, proprio qvasi sanguine pascere, atqve, qvod vulgò dicimus, serpentem in sinu fovere, periculosissimum: vicinum non amicum satis habere, inter ærumnarū: hostem verò, in vicinia, momentis omnibus, lethales ict9 intentantem, inferentem, formidare; inter extrema infelicitatis nomina censebatur. Nullam vim tam validam fore, qvæ ipsis qvasi URBIS viscerib9 implicatum, et de Vrbico pingvescentē proterere posset: aut si extrema urgerent, non abscessurum prius, qvam ex militaris vindictæ modo in lacrimabiles favillas omnia

inso.

insolenter redegisset. VRBEM se concessisse, si limen indulgerent: et lenta qvasi tabe confecturum pertinaces, si ad vim mora longiore uti posset. Hæc qvidem Militaria Ingenia, et prudenter admodum, pensitabant, ut; qvib9 nihil nisi qvod hosti noceret, utile videretur: At qvi civiliorem animum gerebant, luctuosa tanti facinoris facie inhorrescebant. Crudele qvippe videbatur tot annorum labores, congestas tanta molestia facultates, immiti flammarum supplicio addicere: uti ejus Sævitiæ administris, qvorum, ut parceretur innocuis parietibus, maximé intererat. Miserandum hosti ipsi spectaculum, nec illum nisi cum extrema adhibere vellet inhumaniter adeó grassari. Hæc et alia diversissimis rerum momentis agitabantur, donec pervaluit sententia, qvæ honestiora magis qvàm utilia svadebat. Negligere enim, qvę utilia videntur, suo loco, magnam: necessitati parere; maximam utilitatis partem esse. Decernitur ergò fatalis ignis, cui exstingvendo, largissimæ lacrimæ sua deflenti-

flentium ſuffeciſſent. Paſcebatur magno ſudore compactis barbarum Elementum, nulla tectorum injuriâ, niſi, qvod ſuſcipere impuné hoſtem et abdere non deberent. Atqve ſic probari per ignem CONSTANTIAM THORUNIENSIUM oportuit, cùm uno pæne momento amplisſimum tot ædium apparatum, crudelis flamma abſumeret, & tot induſtriæ mortalis ſpecimina, tot hortorum ſpecioſisſimæ voluptates, atqve infinita, rerum omnis generis diverſisſimarum vis, vanisſimo ventorum pariter & ignis ludibrio perderetur. A Veteribus accepimus, funeſtisſimum illud, qvod per decennium totum TROIANAS & GRÆCAS vires attrivit, bellum, in cineribus dein TROIANIS ſopitum eſſe. Lugubrem tunc rerum faciem fuiſſe oportet, qvam flebili adeo adfectu, Principis Poetarum ore, Æneas repræſentat: ut curioſiore cura legendi, & à duritie illa Stoæ alieniori ſuboriri facilé lacrimulæ posſint. At has flammas Græci excitarunt. Græci

qvos

qvos rapta per iniqvisſimum ſcelus fæminarum pulcherrima gravisſimè irritaverat. Græci qvi cladibus per totum decennii ſpatium freqventatis nonniſi furore parentari volebant. Verbo: ab inferſisſimorum hoſtium manu illata hæc clades Ilio erat. At hic, Amici, Heri, Poſſeſſores, non per oſcitantiam: nam, ut id effectum darent, maximé vigilaverant: non odio, ut enim Amoris erga REGEM SERENISSIMUM vim obſignarent hanc odii perſonam ſumſerant; Sua, Suis laboribus, ſumtibus ad difficilimum faſtigium perducta: nec ſibi tantùm; ſed & ad ſeræ poſteritatis uſum deſtinata miſerandum in modum accenderunt, exuſſerunt, in nihilum redegerunt, ſolo æqvaverunt. Sævisſima Belluarum NERO, mirum in modum ſibi placebat, cum ſuſcitatum ſua neqvitia in VRBE ROMA incendium continuata per aliqvot dierum ſpatium impiisſima voluptate ſpectaret, monſtrum futurum celebrius, & gratum magis POPULO ROMANO incendium

 illud

illud redditurum, ſi in flammas incidiſſet. At nos ô Cives obſeqvium non voluptas: fidelis animus, non crudelis: conſtantia non inſania: ad grande illud ſuſcitatarum flammarum ſpectaculum adegere. Carthaginenſium ultima illa clades, (qva æmula diu Romani Jmperii Civitas ultricibus flammis deleta eſt) Scipioni, ob victrices, quas in Africa circumtulit Aqvilas, Africano dicto, lachrimas elicuit: non tam fortaſſe miſerationis; qvàm, qvod poſtea edidit, de Romana Iuventute præſagii motu. Sed has ipſas flammas Romani, qvibus Punica arma gravia toties incubuere, qvorum portas, diſſectis Alpibus, Hannibal freqventius terruerat: qvibus ad Alliam & Cannas miſerabiles clades dies atros ſignaverant, injecere. Diverſiſſima hic rerum facies: qvi præſidium debebant, faces, qvi auxilia ruinam, qvi ſolatium flammas, qvi conſilium, extremum exitium intulere. Videor mihi audire, generoſas illas Civium, luctum priorem,

neces-

necesſitatis lege incruſtantium, voces. Injice, ure, exure, pereat SUBURBIUM, ne VRBIS fides langveat, emoriantur qvæ extra mœnia ſunt, ut in mænibus fides & CONSTANTIA vivant, eant in cineres omnia, modò pectora ſolidentur. Incaluit tunc repentinis flammis omnis circa VRBEM ambitus, ne qvod intra eam erat, affectu teperet: diffuſa per disſita longé camporum æqvora flammarum claritudo eſt, ut fulgor Virtutis patentisſima ORBIS Terrarum Spatia compleret. Confudiſtis diei & noctis vices THORVNIENSES, ne fraudi & perfidiæ, qui denſisſimi tenebrarum fœtus ſunt, latibulum apud Vos unqvam eſſet. Stetiſti tunc PATRIA MATER, ſtetiſti Chamæleon & qvaſi ex ipſis flammarum crepitaculis ulteriora Virtutum nutrimenta caperes, ipſum illum Tibi ignem peperiſti. Qvos caſus omni à ſe opere Mortales amoliuntur, Tu, ne caſu in compendium hoſti caderes, proprio Tibi qvaſi iumento accerſiviſti: Veré per ignem CON-

CONSTANTIAM probaſti, veré in ipſo qvaſi funeſtisſimarum flammarum meditullio fidei Tuæ documentum edidiſti: Irritatus hac Virtute hoſtis, ſenſit ſibi cum iis rem eſſe, qvi ſua primùm; mox ſeipſos, ſi imminerent extrema, contemnere didiciſſent: adeoqve non molli eos brachio tractandos eſſe omninò exiſtimavit. Hinc per medias nebulas ſtricto ad exacerbandum Militis furorem gladio propiora VRBIS petens magno impetu CATHARINÆ ut vocant portam tentari iusſit, ingentibus primò Machinarum Martiarum boatibus perterritam, mox violenter convulſam. Sed & hic compertum eſt, eos, qvi ad primam ingruentium periculorum famam aliqvid percelluntur, ſi tempus & locus inſpiciendi penitius periculi ipſis contingat, ultro deſpicere, qvæ majora videbantur: & vel exigua mora minui, qvod intolerabile primum cenſebatur. Nam imbellis qvoqùe ſexus ad obſtruendas, ſi qua perrumpere violentia hoſtilis ten-

tentaret lacunas, impedimenta multa comportavit: & si hæc non superessent, restabant quibusvis duriora CIVIVM scilicet pectora. Hi locis suis dispositi & cōstanter & feliciter occurrentiū sibi manipulos plumbo impetebant, atque ab eorum insultibus magna se felicitate liberabant. Rejectas ergò ab eo loco vi CIVIVM atqve virtute turmas, longo ordine disjunctas CULMENSI PORTæ admovet, non uno expugnandæ ejus modo instructus. Iam dispositæ insidiæ: infixa portæ, qvæ totam cardinibus suis revulsam disjiceret, Machina: exspectantes, qvamprimùm aperienda direptioni esset porta, eqvites: omnia solerti consilio, collectis viribus, præsenti animo, firmo apparatu ad faciendum vi aditum bellicè instructa. Et iam suum sortita effectum Machina primum VRBIS aditum, nondum latus nudaverat: iam turrim munitissimam Triginta ex hostibus Viri occupaverant, adeoqve actum de CIVIVM studio videbatur, cùm

victricia hostis tela & ipsis mœnibus nostros perturbarent, & qvos extra mœnia qværebamus in nostro qvasi amplexu ad penatralia VRBIS interiora penetrantes occulerentur. Non alias magis toto hoc obsidionis; non sanè scenicæ tempore animadversum est, qvantum Eorum, qvi fidei caussa se devovent, Virtus posset. Potiebatur VRBE indignabundus Hostis, atqve ex ipso Ejus aditu resistere, volentes conficiebat. Iam parta Victoria putabatur: subacta CIVIVM vis: calcata ferocia: in mundo insignis præda: aperta ad infestandam POLONIAM ianua & momentum rerum tantum, qvantum sperare multi, procurare hactenus nemo poterat. Sed Virtuti nihil impervium, illi præsertim qvæ Supremi Numinis curam in partibus habet. Eluxit enim tunc singularis Supremi Numinis erga hanc VRBEM Clementia, & Angeli Tutelaris vigil oculus. Cùm enim qvi potissimos ad VRBEM per Portam CVLMENSEM adi-

tus oc-

tus occupaverant, ſublaturi ſignum, qvo ad invadendam Portam latentes in inſidiis eqvites èxciri debebant, ignes ſuos artificioſos emitterent, ſecus qvàm conſtituerant, res cadens, & eorum diligentiam, & ſpem aliorum rapaci animo prædam iam dividentium eluſit. Conſilia ſuis aliqvando fundamentis, incertæ admodum baſi eventus innituntur. Hinc dum deliberant Mortales, dum rationibus ſua adſtruunt, ſpecioſa & qvaſi eventum dextrum debentia videntur: ubi exſeqvi cepere qvod conſultum eſt, nihil ſperato ſucceſſu infreqventius. Optimum ergò conſilium in DEI potentia eſt, & tum demum vident oculatisſimi, cùm benignus Supremi Numinis Oculus eos reſpicit, tum operantur manus robuſtisſimæ, cùm Dextra Divina eas ducit; Jrritis itaqve circa hanc qvoqve portam Hoſtis conatibus; cum præterea, eiectis, qvi celeriter nimis turrim occupaverant militibus: CIVES explodendarum bombardarum finem nullum facerent:

cerent: ſed, qvantum aſſeqvi poterant, freqventatis Machinarum mugitibus omnia latè infeſtarent, & pari PORTæ omnes diligentia contra vim munirentur: Dux Exercitus hoſtilis, comitantibus, qvos freqventi ſtudio CIVES iaculabantur, globis, nullam ſibi ulterius de CIVIBVS fidei, ſemel REGI ſuo datæ, immori volentibus Victoriam permittens, recesſit. Poſteræ diei primum Exordium à nova armorum ſuorum oſtentatione exorſus, alacres in excubiis CIVES reperit, qvaſi brevi iſto, qvo cum eo pugnarant, temporis ſpatio, Veteranorum peritiam didiciſſent. Nam & plura retundendo hoſti tormenta expedita, novis qvibusdam fulminibus auſa ejus remorabantur: & ex primariis eius militibus qvidam, dum inſolentius Eqvum in glacie exercet: globo petitus, lethali, qvodam gyro perculſus fatalem horam explevit. Idem eodem die aliorum fatum atqve inter hos Legionum Ductoris fuit; Irritati qvippe CIVIVM animi

animi, prioris, in qvam ex nimia periculi celeritate inciderant, consternationis ruborem, freqventi hostium sanguine eluebant, & destinatis singulari qvadam diligentia ictibus, satis sibi faciebant. Tandem decreto disceslu, ne nullum prorsus fecisse operæ pretium videretur: declinato etiam vix magno periculo, qvo é cænantis regione, ingens globus parietem perruperat: Tubicinem, ut ingentem pro liberandis qvæ ad VRBEM spectabant prædiis argenti vim deposceret, ad VRBEM ablegavit. Sed iam didicerant THORVNIENSES nihili hæc præ fide in REGEM facere: iam, postqvã Se, Cõjuges, Liberos, periculo objecerant: postqvã ignem ipsi facultatibus amplissimis iniecerant, vanum illud terriculamẽtum videbatur: dignum qvod nervoso & virili responso ita exciperetur: THORVNIENSES auro Amicos; plumbo & ferro, qvi ita, ut ille, se gessissent, hospites excipere. Atqve ita, non horribilis ille flammarum, lucem suam, locis, magna spatii intercapedine divulsis, cum horro-

P re in-

re incutientium ignis: non repetita summo impetu hostilium machinarum fulgura, & prosternentes obvia qvæqve infensi globi: non ingens militum, eqvitis qvoqve & peditis munia, ex spe VRBE potiundi confundentium ardor: pulcherrimam VRBEM terruerunt, qvominus hostem robore validum, Victoria recenti ferocem, peritia veteranum fortiter sustineret, & præsidio omni, nisi qvod propria Virtus imposuerat, destituta, promissa contemneret, minas reprimeret, vim confunderet. Amovimus DEI ope & Vestra, CIVES, Virtute Tragica licentiæ militaris specimina, qvæ non sacra à profanis, non ætates, non sexum distinguit, sed dum Victoriam perseqvitur, cujusvis facinoris liberrimam sibi licentiam esse arbitratur. Amovimus crudeles direptiones, immania tormenta, rerum sacrarum & profanarum expilationes, atqve eiusmodi, qvæ explendæ suæ avaritiæ procudere impietas bellica solet, inventa; amovimus. Qvod

hostis

hoſtis felicitas hoc obice ſufflaminata ſit: quod victrices legiones ab intimis Regni POLONIÆ medullis prohibitæ: qvod interverſum fixum in PRVSSIA veſtigium: DEO id & Veſtræ Virtuti debetur. Vos enim THORVNIENSES Fidem Regibus debitam, ſanguinis atqve vitæ diſpendio aſſerendam exiſtimantes, non promiſſa levitate, minas metu, flammas horrore, fulgura tremore, ferrum fuga, ſed omnia CONSTANTIA excepiſtis, Mortem eligentes in qua pulcherrima Vitæ imago ſpiraret. Ambiebant Vos Flammæ, ſed ut pretioſiſſimum Adamantem, ornatùs cauſsâ aurum ambire ſolet: impetebant periculoſiſſimæ procellæ, ſed Veſtra Virtus ſua inter horribiles earum vices Alcyonia egit. Non tam vallorum molem, non fluviorum qvam hyems expleverat profunditatem, non invictam mœnium ſoliditatem, quam Tutelarem VRBIS Angelum, & Virtutem viribus oppoſuiſtis. Videbit ſera poſteritas locum, qvem ne

pectus

pectus POLONIæ REGIBUS consecratum nudaretis, omni ornatu spoliare per ignis vim voluistis. Audiet ista solennitatis Anniversariæ jubila, & plausus, atque ut in tantæ Virtutis admirationem, ita ad Exemplum rapietur. Æstimabit fidem qvam penitissimo æstu calentem GLORIOSISSIMUS SENUM SIGISMVNDVS Regio ore probavit, præconiis rarioribus cumulavit, & Serenissimis CLEMENTIæ REGIæ Radiis conspicuam in POTENTISSIMI REGNI, immò Orbis totius conspectu collocatam esse voluit. Admirabitur peculiarem hanc VRBI PRIMARIæ erga REGES Suos & DOMINOS venerationem, post excussam superiorū Seculorum Tyrannidem, æterno Sanguinis Sigillo obsignatam, POLONIA: quam tanti iam tum fecit, ut liberrimam à censu, toto eo belli tempore solennissima Comitiorum voce pronuntiaverit. Si quid Laudis est, non obrui à bellatoribus inermes: si quid Gloriæ imparatos cum acie instructissima feliciter confligere: si Virtutis, ubi in hu-

manis

manis nihil Spei ſuperat, non deſperare: Si Fidei, non minis, ferro, flammis: non orbitate facultatum omnium, non momentaneis Mortis præſentisſimæ imaginibus terreri, omne id in Tuum Sinum THORVNIVM Cultisſima eſt effundendum. Quid erit CONSTANTIA Tua clarius? in ignibus mediis effulſit: qvid FIDE ſolidius? plumbo & ferro durata eſt: qvid PIETATE ardentius? qvæ fervidisſima ex flammis alimenta accepit. Accipe Locum in Annalibus præclara Virtus, Accipe æternam memoriam. Vos autem conſervate hanc Gloriam CIVES! atqve ea macti, vel florentibus Pacis Rebus perpetuum obſeqvium: vel, ſi ita ſummo IMPERATORI viſum fuerit; ſimilis impoſterum Virtutis atqve CONSTANTIÆ Specimen edite

THORUNIENSES.

(o)